

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO METAPHYSICA  
DE

IDEIS DIVINIS,  
DUCTU SCHO-  
LASTICORUM EXPOSITIS,

Quam  
Amplissimâ Facultate Philosophicâ  
consentiente in Almâ Lipsiensi

PRÆSIDE  
VIRO CL.

M. VALENTINO FRIDERICI,

S. S. Theol. Baccal. Facult. Philosoph.  
Assessore,

*Fautore ac Præceptore suo omni honoris  
cultu perpetim suspiciendo,*

PUBLICAE DISQUISITIONI

*subjicit*

GOTTHARDUS KAHLIUS,

Zittâ Lusatus.

Die 19. Julii A. O. R. 1673.

H. L. Q. S.

---

L I P S I Æ,

Literis JOHANNIS KOLERI.

Coll. diss. A  
36, 57

*W. J.*  
*A. XXXV. J.*

*a. XXXVI. 57.*

INCLITAE REIP. ZITTAVIENSIS.

VIRIS

*Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,  
Prudentissimis, Spectatissimisq;*

DNN. CONSULLIBUS  
SYNDICO,  
PRÆTORIBUS,  
SCABINIS,  
SENATORIBUS,

*Patronis ac Promotoribus meis,  
si à Deo discessero, optimis, maximis-*

Qualecunque hoc specimen  
Academicum



D. D. D.

RESPONDENS.



Σὺν Θεῷ.

## Antelogium.



Uemadmodum in Judicio, de Scholasticis ferendo, alios in excessu; ita in defectu peccare alios audimus, videmus, legimus. In excessu quidem ii, quibus nihil præter Scholasticos sapit, qui, si non totum Studiorum tempus, tamen maximam illius partem iis tribuendam censent; hi, qui ne audire quidem volunt, tantum abest, ut eosdem legere præsumant. Utrique extra recti orbitam abeunt. Fatendum equidem est, Scholasticos subinde res intricatè magis quàm dilucidè tractare, magis futilia, quàm utilia proferre: eà de causâ invehunt in eos B. Sperl. lib. 1. Anthrop. c. 2. p. 1. Heereboord. in Epistola dedicatoriâ, Meletematis suis præfixâ p. 4. 5. Dreierus in præfatione super Philosophiam primam. Cornelius Agrippa de Vanit. scien. p. 313. seqq. aliiq. Videas integra librorum plaustra apud ipsos de quæstionibus vel impiis vel blasphemis vel superstitiosis, vel occultis, quales illæ: an mus hostiam consecratam arrodens, exenterandus sit? an in muscipulâ adorandus? an excommunicandus? an Asinus biberet Baptismum, si aquam consecratam biberet? Ex hoc B. Hülsemannus (iudice Bergio Calvinistâ ad Præsidem Concilii Thoruiniensis Bojanovvski in Scholasticis versatissimus) de auxil. grat. fol. 43. ipsos omnia λεπιδά & asini umbras sectari confitetur. Nihilominus Philosophia ipsorum, si pretiosum à vili secernas, quam summorum

calculo virorum meretur, laude frustranda non est. B. Dannhauerus minimè se tempus, quod lectioni Scholasticorum, Fonseca, Svaretii, Murciae, Mendozae, &c. impendit, perdidisse, profitetur in Onirocrisi pag. 104. nec non B. Hülsemannus in Methodo Stud. Theolog. fol. 301. seqq. & Dominus D. Calovius Pædiâ Theol. fol. 268. Valentiam, Vasquez, Svaretz, Tannerum, Becanum, Thomam, Pesantium, Estium, Bannetz, Zumel, Radam evolvere jubent. Quis tantis Viris obsequentem se non præstet? quis utilitate allectus aliquid temporis legendis Scholasticis non impendat? Ex scriptis ipsorum placuit nobis in præsens Thema ad disputandum proponere, nempe de Ideis divinis, Thema profectò non minus ad sapientiam quàm ad religionem ac morum informationem oppidò conducens: ad illam, dum primas altissimasq; rerum causas speculatur; ad istam, quandoquidem sine Ideis nec dependentia mundi à Deo, nec divina providentia ritè explicatur; ad hanc denique, cum Ideas Dei rectè quis fuerit contemplatus, fieri non potest, quin cognoscat admirabilem Dei sapientiam, bonitatem, potentiam, & Deum cognitum, sapientissimum, potentissimum, optimum amet, colat, veneretur. Opus igitur aggredi dum paramus, Te, æterne Deus, speculationi nostræ, in gloriam Tuam unicè susceptæ, ex alto benedicas, toto pectore veneramur.

§. I.

Deus habet  
Ideas,

**D**E divinis Ideis, in quantum per rationis lumen concessum θεῶν συνεργῆσθαι αἰτιῶν, quæstionem, an Deus habeat ideas, aggredimur. Ubi respondemus, quòd sic. Annon habeat ideas artifex præstantissimus, ut qui ad extrâ non operatur fortuito sed liberrimè? ex præconceptione effectus Deum agere, cujus proinde ideam in se præhabeat, ait Petrus à S. Joseph. in Idea Theol. specul. lib. 1. C. 12. de Deo resolut. 3. p. 71. Imò Deum sine ideis nunquam fuisse, ne mutatio in eum caderet, rectè sentit Fonseca l. 7. Comment. in Metaph. C. 8. quest. 2. pag. 283 a D.

§. 2. PRO

§. 2. Pro ulteriori confirmatione Idearum in Deo adducimus hoc Argumentum.

Agens per intellectum continet ideas.

Atqu. Deus est agens per intellectum.

Et Deus continet ideas.

Majorem probo, quia agens illud continet rationes & formas rerum, quas cognoscit & deinde efficit, illas verò ideas esse necesse est. Quod si Deus agens *naturale* esset, sine ideis equidem operaretur; quia verò agens est *rationale*, ideò movetur à se per rationem, quam in se habet. Refero huc, quod dixit *Boëtius lib. de Consol. Metr. 9.*

*Tu cuncta superno*

*Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse*

*Mundum mente gerens &c.*

§. 3. Ipsum divinum *Platonem* rerum omnium ideas Deo tribuisse arbitrantur. Unde non minus Patres quàm Philosophi nonnulli eum excusant, quòd non statuerit naturas separatas, quas innumeris tot locis discipulus *Aristoteles* ipsi affricavit, nescio quàm motus ratione. Huc *Fonseca comment. in. lib. 7. Metaph. c. 8. quest. 2. sect. 2. pag. 384 B. facit*, sic scribens, *Ideas, quas Deus agendo respicit, in mente divina existere, non objectivò tantum, sed re ipsa: aequumque esse, ut & Plato & Aristoteles sic explicaverint, ut præcipui Patres sentiunt, videatur B. Schlevogt Disput. de univers. ante rem.*

Plato excusatur.

§. 4. Nec minus huc facit *Heereboord*, qui *Platonem* masculè adversus *Aristotelem* defendit, *meletem. philosoph. volum. 2. Disput. 31. pag. mihi 291. Maximus Plato, inquit, ac Philosophus divinus non excogitavit profectò ideas, errabundas inter nubes, aut in terrarum vel orbis mundani angulo alicubi delitescentes, sed in mente eas posuit divinã, æternas atque immutabiles. Detur, quaeso, pergat Heereboord, fingendi licentia, quis est, qui non animadvertat, ineptas esse cogitationes, si quis fingat bovem aut leonem quendam maximum, per se consistentem, & alicubi extra omnes boves & leones singulares existentem, egregiã animã & formosò corpore præditum, ad cuius ideam boves omnes ac Leones singulares sint expressi, formati, facti? apagenugas, homine mentis sane, nedum tanto Philosopho Platone, indignas. Plato omnium rerum ideas & exemplaria in ipso Deo posuit &c.*

A 3

§. 5. Pe-

§. 5. Petrus Hartadus de Mendoza, *Metaph. Disp. 11. sect. 5.* roganti: utrum Deus possit dici operans per exemplar? respondet, Deum operari per ideam propriam & claram objecti singularis faciendi. Et post pauca: opus è divina manu procedit, quale propria representatur idea.

§. 6. Distinctius adhuc ut probemus divinarum existentiam idearum, Scholastici tria de ratione ideæ esse dicunt, 1) ut sit forma rei, præter ipsam rem, in agente existens, 2) ut res producta imitetur, referat & exprimat illam. 3) ut agens intendat rem exprimere secundum ideam similitudinem. Iuxta tres conditiones has Deum operari manifestum est. Plures rationes, idearum, in Deo existentiam probantes, qui auct legere, evolvat *Heereboord vol. 2 Meletem. Disp. 32.* Sed quæstio an sint, difficultatis multum non parit, secus quæstio, quid sint divinæ ideæ.

Res facti-  
biles non  
sunt ideæ.

§. 7. Certè hic Rhodus hic saltus, res adeò ardua, ut Theologi pariter & Philosophi vix conciliari queant. Nobis veritatem indagare volentibus incumbet ambages evitare, & cum conceptus ἀπεροδιόνυος, tum conceptus inadæquatos tanquam impedimenta removere. ἀπεροδιόνυος conceptus est objectivus, per quem intelligunt creaturas faciendas seu res factibiles, quatenus intellectui divino saltem obijciuntur, non verò in eodem realiter existunt. Atque in hoc conceptu objectivo multi sunt ex Scholasticis, qui formalem rationem seu conceptum sub quo concipienda Dei idea, ponunt, utpote *Scotus in 1. d. 33. q. 1. Occam d. 35. q. 5. Gabriel q. 5. a. 2. Aliac. in 1. q. 6. a. 3. & Major d. 35. q. 1. in fine. Durandus dist. 36. q. 3.*

Obj. 1. pro  
rebus facti-  
bilibus.

§. 8. Hi, diligentiam adhibitam, suam stabilire sententiam conantur ita argumentando:

Quicquid est idea divina, id ipsum res illæ, quæ fiunt à Deo, expressè & adæquatè imitantur.

Sed nihil reale in Deo res, quæ fiunt à Deo, expressè & adæquatè imitantur.

E, nihil reale in Deo est idea, & per consequens idea divina erunt res producendæ.

Major est ex loco definitionis Topico: Cui competit definitum, ei quoque competit definitio. Minorem probant, quia omne in Deo reale est perfectissimum, infinitum, independens. At-  
qui

qui nulla res facta potest respondere tali Enditanti divinae, perfectissimae, infinitae, independenti.

§. 9. Ad minorem respondeo 1.) per distinctionem inter rationes divinas secundum esse consideratas & consideratas secundum representationem. Res quae fiunt à Deo, possunt utique imitari expressè & adæquatè ideas, quae illis in mente divinae respondent, licet non secundum earum esse, tamen secundum earum representationem, ut possibile; perinde ut primi hominis imago respondebat imagini divinae. 2) si res producendae essent ideae, sequeretur hoc absurdum. quod se ipsas imitarentur, quod fieri implicat.

§. 10. Deinde à simili argumentantur, desumpto à creato Artifice. Quemadmodum se habent ideae creati artificis: ita ideae increati. Sed creati Artificis ideae nihil aliud sunt, quam artificiosa opera, ab illis excogitata. Ergò in Artifice increato ideae nihil aliud erunt, quam opera producta. Minorem probant allegando simile ex Philosopho, lib. 7. Metaph. Cap. 4. text. 23. petitum, ubi inquit, *idea sanitatis, quam concepit Medicus, est nihil aliud, quam opus illud introductum in aegroti animam.* Verum enim vero respondere ad Majorem possem, eandem dissimilitudinis accusando. Quicquid tamen ejus sit, admittam eam, cæteris paribus, ad Minorem respondeo, eam negando, nam res faciendæ nequaquam sunt artificum ideae sed formales rerum conceptus. Quod quò clarius, hoc eò verius fit ex addito simili: Medicus sanè non imitatur futuram sanitatem, sed formalem sanitatis conceptum, qui enim potest imitari, quod nondum est?

§. 11. Scotistae remissionem nondum dant manum, sed contra audentiores eunt, sic obvertentes:

Quicumque conceptus sufficit, is alio opus non habet.

Atqui conceptus objectivus sufficit,

Et alio opus non habet.

Minorem probant, ad rei productionem omninò opus esse dicunt præconceptione objecti, quia absque ea res producenda fieri non posset. Respondeo, hoc non est probare Minorem, etiam nos dicimus, opus esse præconceptione objecti, sed negamus sufficere. Ilustro exemplo v. g: Pictor non potest non habere objectivum rei producendae conceptum, interim is non sufficit, nec-

cel-

Resp.

Obj. 2.

Resp.

Obj. 3.

Resp.

cessum est, habeat etiam conceptum formalem. Colorant sententiam suam porro ex quâdam *proportione inter exemplar & finem*, utrumque, ajunt, requirit esse cognitum, ut suum munus exercere possit. Nam ut finis non movet, nisi cognitus: ita exemplar non dirigit, nisi mente perceptum. Respondeo, diversam esse rationem de fine & de exemplari. In eo conveniunt, quod utrumque causat, ut in cognitione existens, in modo tamen causandi habent diversitatem, ratione cujus finis potest esse ipsamet res, exemplar verò non, sed alia, quæ sit mensura. *Suarez. Tom. 1. disp. 25. sect. 1. §. 39. pag. 570. E.* ita respondet: *finis ita est in cognitione, ut non necessario sit cognitio; exemplar verò per se ac proximè requisitum ita est in cognitione, ut intrinsecè etiam sit cognitio quedam seu intellectualis Regula ac Mensura.*

§. 12. Addo, ideas divinas imperfectionem importare nullam; res verò producendas magnam ex ratione suâ imperfectionem importare. Sequeretur porro hoc absurdum, *se ipsas producerent*, quod sine repugnantia dici non potest. Nec obstat regeri posse, unam eandemque rem esse sui causam, e. g. sanitas concepta sanitatis futuræ realis. Respondeo, licet conceptus ille sit quædam *conditio sine qua non*, non tamen est ipsa *ratio realiter causandi*. Quod si ortus diceretur effectus ille à conceptu, nobilior esset effectus suâ causâ, quod est contra regulam Logicam: Causa est nobilior suo effectu. *Suarez Tomo 1. Metaph. Disp. 15. sect. 1. §. 6. pag. 565.* hoc quoque elicit absurdum, *ideæ creaturarum juxta sententiam hanc in Deo non essent aliquid increatum.* Concludo E. res producendas non esse ideas divinas.

§. 13. Sed quid de *essentia divina in se ac perfectione sua specificata* statuendum, an fortassis ista conceptus, sub quo divina concipiatur idea, vicem subeat? Respondeo negando. Sic equidem volunt *Cajetanus & multi Thomistæ. 1. part. q. 16. art. 2. & Ferrar. 1. Cont. Gent. C. 54. & Agid. in 1. dist. 36. q. 5. ad 2. & Bassol. in 1. dist. 36. q. 2. art. 2. & Richard. art. 2. q. 2.* Hancque suam assertionem probare conantur 1.) ex eo quod *ideæ sint ipsa divina essentia, quatenus à creaturis est imitabilis.* Esset verò imitabilis propter infinitam, quam continet, perfectionem. Verùm Respondeo distinguendo inter divinam essentiam imitabilem *remotè* & imitabilem *proximè*. Concedo esse imitabilem *remotè*, nego *proximè*. Ut proximè sit imitabilis,

Essentia divina non est idea.

Obj. 1.

Resp.



tabilis, actus divini intellectus accedant necesse est; nam idearum ratio consistit in imitabilitate *propinquā non remotā.*

§. 14. Fidem 2) facere conantur assertioni suæ ex eo, quòd *ante omnem intelligendi actum divina essentia factibilia omnia repræsentet.* At respondeo, repræsentationem istam factibilium omnium ad idearum rationem *non sufficere*, partim quia repræsentatio ista sanò sensu dicenda est *confusa non distincta*; partim quia creaturæ non sunt producibiles à Deo per *naturam*, sed per *intellectum*: per *istum* ideæ in Deo sunt *quasi confuse*, per *hunc distincte*. Regerunt, repræsentationem *confusam non ob stare*, licet non adsit distinctio *actualis*, tamen *virtualis* satis esset. Respondeo, petitur *quod est actu*, res producenda *actualem non virtualem* postulat rationem. Porro, quia vocabulum Ideæ formaliter importat *actualem* distinctionem; unius ab alia, contradictio in adjecto esset, si quis diceret, ante *actualem* distinctionem ideæ hujus ab illa dari illam per solam *virtualem* distinctionem: esse *actu distincta & virtute* seu non actu distincta, certè implicant.

Obj. 2.

Resp.

Obj. 3.

Resp.

§. 15. Neque rem acu tangunt, qui divinam ideam divinam dicunt essentiam, ut est *objectum*, quasi dicerent, ideæ in Deo sunt *objectivi conceptus tantum*, quia cognoscuntur seu objiciuntur intellectui ejus in essentia divina. Ita sentit *Heinrici quodl. 9. q. 2. Aegid. in 1. dist. 36. art. 2. q. 2. Ferr. 1. contra gent. c. 54.* Muniunt sententiam suam, ut sequitur:

Essentia divina non est idea, quatenus est conceptus objectivus.

Obj.

Quicquid est principium cognoscendi ideatum & operandi, id est idea.

Atqui divina essentia est principium cognoscendi ideatum & operandi.

E. Divina essentia est idea.

Minor probatur, intelligunt per divinam essentiam, quatenus divino intellectui objicitur, ut imitabilis ab aliqua creatura. Sed respondeo, concedo *remotè*, nego *propinquè*, secundum nostrum concipiendi modum conceptus *objectivus* est *remotior*, *propinquior formalis*.

Resp.

§. 16. Quapropter verisimillima omnium sententia est, quæ ponit ideam divinam *in divina essentia, ut est conceptus formalis.*

Essentia divina est

B

i. e. quæ

Idea quatenus est conceptus formalis.

Probatur Autoritate.

Probatur rationibus.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

i. e. quæ dicit, ideas esse ipsas creaturarum rationes formales, in mente divinâ existentes, quatenus à Deo spectantur imitandæ aut imitabiles in agendo tanquam primaria & æterna exemplaria rerum omnium, quæ ab eo fieri possunt. Tenent sententiam hanc *Alens. 1. p. q. 13. memb. 4. a. 1. Bonavent. in 1. d. 35. a. q. 1. & Capreolus dist. 36. q. unica. a. 1. ad i. Durandi. Eadem sententia videtur esse Thomæ 1. p. q. 15. Nam art. 1. ait, ideam esse formam i. e. similitudinem rei faciendæ, quam in se habet Artifex secundum esse intelligibile. Et solut. ad 2. ait, Deum per essentiam suam habere ideas, quia per essentiam suam cognoscit res à se operabiles: non cognoscit autem Deus creaturas in esse cognito, sed per conceptus formales earum. Et solutione ad 3. ait, in tantum divinam essentiam esse ideam, in quantum ipsa est similitudo rerum omnium, quod non potest intelligi de similitudine naturali sed de similitudine intentionali, quæ habetur per formalem conceptum. Sed rationibus sententiam probabimus.*

§. 17. Ratio 1) à sufficientia seu sufficienti partium enumeratione: exemplar est in intellectu non objective tantum, E. formaliter seu inhaesive (sumpto inhaesionis termino in laxiore locutionis licentia, non quatenus notat unionem & propriam inhaerentiam, sed identitatem.) Non est autem ipsemet intellectus, quia intellectus, ut sic, non est forma representans, quæ est de ratione exemplaris.

§. 18. Probatur 2) ab artificibus terrestribus, quorum primaria sunt, quæ habent in mente, quandoquidem externa exemplaria ab internis pendent, imò ut scribit *Fonseca T. 3. lib. 7. c. 8. p. 237. col. 1. B. externa ad agendum non sunt per se necessaria, tametsi juvant ad formanda aut retinenda interna.*

§. 19. Probatur 3) ab officiis ideæ, quorum α) determinare actionem intellectualis agentis: quo ad hoc officium exemplar habet munus formæ. β) dirigere actionem agentis intellectualis, ut in certum terminum & scopum tendat, ut non casu, neque irrationali modo fiat. Ideò dixit Augustinus, tam esse certum, Deum habere exemplaria, quàm est certum, operari ex ratione. Directio autem hæc non fit, nisi per actualem mentis representationem, quæ est veluti quoddam lumen, quod præit, ostendens viam & modum

dum ac terminum operationis, hoc autem totum fit formaliter per formalem mentis conceptum.  $\gamma$ ) *esse mensuram rei faciendæ.* De conceptu objectivo id dici nequit. Nam objectivus si sit omnino proprius & adæquatus rei faciendæ, non distinguitur ab ipsa met re, idem autem non est mensura sui ipsius.  $\delta$ ) *Esse principium cognitionis.* Non est autem principium effectivum, quale est species intelligibilis in intellectu humano, sed formale.

§. 20. Qui nolunt, formalem rationem ideæ divinæ consistere in conceptu formali, sic argumentantur:

Obj. 1. Contra formalem conceptum

Nullus Artifex intendit imitari in agendo suum conceptum formalem.

Atqui Deus est Artifex.

E. Non intendit imitari suum conceptum formalem. Majorem probant, quis Artificum qualitatem spiritualem, animæ inhærentem, repræsentativam rei objectæ, qualis est conceptus formalis, quis, inquam, Artificum talem imitabitur? verum enim verò limo Majorem: nullus Artifex intendit imitari suum conceptum formalem, quoad *esse reale*. Sic conceditur totus syllogismus. Distinguo autem inter conceptum formalem, consideratum secundum esse reale & secundum esse intentionale. Concedo, Artificum neminem *reale* imitari, imitatur tamen *intentionale*, quatenus rerum ipsarum vicem gerunt pro iisdemque intentionalia ista accipiuntur.

Resp. 1.

§. 21. Regerunt, experientiam testari Artificem conceptum suum formalem *non respicere*, cum tamen idea ideò ponatur, inquam Artifex intueatur. Sed respondeo, necesse non est, intueri in idearum *entitates*, videre verò Artifici incumbit, quo pacto res juxta idearum præscriptum sint faciendæ. Non debet aspicere imaginem, seu exemplar, ut res est, sed reduplicativè ut imago seu exemplar est. Huc illud Philosophi, quod habet *lib. 3. de anima Cap. 8. text. 39. intelligentem phantasmata non speculari* i. e. res, per phantasmata repræsentatas.

Obj. 2.

Resp.

§. 22. Formali ratione ideæ divinæ hætenus expositâ quæritur nunc: *an omnium rerum factibilium sint ideæ in Deo? ubi*

An omnium rerum sint ideæ?

B 2

distin.

distinguo inter res factibiles, quæ revera fieri possunt, & quæ non. Quæ non fieri possunt, earum non dantur ideæ, qualia sunt entia negativa, rationis &c. Aliter verò est comparatum cum possibilibus seu factibilibus, hæc rursus duplicis sunt generis, vel enim aliquando fiunt vel nunquam erunt, licet fieri possint. Utriusque generis entium horum dantur ideæ v. g. defensio Christi contra hostes suos per duodecim legiones Angelorum non instituta est neque futura nunc erit, & tamen fuit cognita à Deo. E ejus idea erat in Deo. Sic novit Deus, se ex lapidibus posse excitare filios Abrahæ, quæ tamen nunquam excitavit neque excitare voluit.

An generum,  
Specierum  
& indivi-  
duorum?

§. 23. Quid de generibus, speciebus atque individuis, quæ in prædicamentis ponuntur, sit sentiendum, an eorum quoque sint ideæ, nunc dicendum est. Hic 1) moneo, rem non esse decernendam ex identitate vel diversitate actionum; sic enim solis individuis essent ideæ. 2) magis ideam id dicimus, quod magis de ratione ideæ participat. Individuis verò ideæ rationem magis quàm speciebus convenire ne dicas, cum individua solummodo sint exemplaria singulorum; species verò exemplaria multorum. Quare speciei potius tribuenda idea est, quàm individuo & generi. Et licet individua sint perfectiora speciebus, non tamen permanent eorumque generatio ad specierum conservationem omninò dirigitur, dicente sic Philosopho lib. 2. de gener. c. 10. text. 59. & lib. 2. de anima c. 4. text. 35.

Obj.  
Resp.

An acciden-  
tium?

§. 24. Præterea disputatur de accidentibus, an iis peculiariæ sint ideæ? dubitatio alicui suboriri potest, præsertim si legerit Thomam. Is enim parte 1. q. 15. a. 3. ait, accidentia, quæ per se conveniunt substantiis, non habere alias ideas ab ideis substantiarum, quibus conveniunt; accidentia autem, quæ conveniunt per accidens suas habere peculiariæ ideas. Sed cum Deus & cognoscat & operetur distinctè, accidentium sanè producendorum ideam quoque habebit, quocumque illa nomine veniant.

An Imperfe-  
ctorum?

§. 25. Pergo ad entia imperfecta, an ista per ideam cognoscantur. Ubi censeo distinguendum esse inter imperfectiones, quæ sunt defectus naturæ, qualis defectus v. g. est cæcitas, & quæ sunt naturales conditiones rerum, quæ important saltem negationem

tionem

tionem perfectionis non debita, v. g. esse materiale, esse potentiam, esse finitum &c. Imperfectionum prioris generis non dantur ideae, quia proveniunt istae à particularis Causae defectu, non ex virtute ac perfectione ipsius Dei. Posterioris generis imperfectiones dupliciter considerantur, vel ratione *imperfectiois* i. e. quatenus sunt negationes majoris perfectionis, vel ratione *entitatum suarum verarum*: ratione illius imperfectiois non dantur ideae; secus ratione entitatum.

§. 26. Denique quid de *malis* sentiendum? num eorum detur idea? respondeo nullam sui habent ideam in Deo, prout idea significat exemplar rei faciendae & rationem operandi. Concedo, Deum cognoscere mala, nego cognoscere sub formali exemplaris. Quis tam impius, qui dicat, divinam essentiam esse malorum exemplar imitabile? clarius, idea in Deo est essentia ejus cognita ut imitabilis sub certo conceptu formali à creaturis, in quantum creaturae seu res sunt assimilabiles Deo. Sed num malum assimilabile dixeris Deo?

An malorum?

§. 27. Ex dictis haecenus videre est, non unam sed plures in Deo esse ideas. Quae quidem res cuiquam dubia videatur ideò, quia sicut dicimus, in Deo esse unicam scientiam: ita & unicam in eo esse ideam. Hic placet responsio *Thomae* p. 1. q. 15. a. 2. dicentis, *ea, quae in Deo principium intelligendi significant, unicum quid importare, quia id, quo intelligit, est unicum, nempe divina essentia; At ea, quae significant terminum intellectiois, uti idea, seu ea, quae intelliguntur tanquam intellecta secundaria esse plura atque infinita.* Contra pluralitatem praeterea objicis: una est essentia E. & una idea. Respondeo 1) ratione *Dei* concedo, ratione *rerum omnium* nego: non est eadem hominis & bovis idea &c. 2) A simili, sicut *punctum* respectu sui unum est, respectu *linearum* verò, quae ex eo ducuntur, est multiplex; Sicut etiam *Unitas* in se spectata est una, respectu *numerorum* verò, qui ex illa procedunt, multiplex: ita idea in Deo in se una est, at respectu earum, quae ab ea, ut exemplari, procedunt & egrediuntur, multiplex est. Breviter, est una *subjectivè*; est multiplex *objectivè* ac *terminativè*. Ex dictis haecenus coronidis loco sequentes nectimus de-

Idearum pluralitatem.

Obj. Resp.

Descriptioes idear.

scriptiones. Idea Dei est forma substantifica [ significanter, licet barbarè, ] objecta intellectui divino [ r. actuum & habituum, ] intra ipsum existens [ r. ideæ externæ, ] ad quam adspiciens operatur [ r. formarum naturalium. ] Vel brevius: est similitudo rei [ non univocationis aut participationis, sed repræsentationis aut expressionis ] in Deo, per quam res cognoscitur ( tantùm, quales res sunt possibles, quæ nunquam fiunt, ) aut cognita producitur ( i. e. quæ & cognoscuntur & producuntur, ut res futuræ. ]

## Tantum.

---

### *Corollaria.*

- I.  
DEUS nec est universale nec individuum.
- II.  
Extensio est formale quantitatis.
- III.  
Non sunt octo species qualitatis contra Zanardum.
- IV.  
Una est Methodus.
- V.  
Nec DEUS, nec Angelus, nec homo facit ens rationis.
- VI.  
In DEO non est Duplex potentia.
- VII.  
Impotentia non cadit in DEUM.
- VIII.  
Tres personæ Trinitatis non sunt creationis causæ sociæ.

Αὐταυτὰ ἢ δ' ἀγαθὰ θεσκοπέον νόσ' εἶδη,  
Αὐτὸς ἔση καὶ ἀγαθὸς, ΚΑΛΙ, ἀγαλμα Σοφῶν.

αὐτοχρῆδ

L. Joach. Fellerus, P. P.

**H**Actenus à multis, ΚΑΛΙ, me teste, magistris  
Doctrinam Discis, non sine laude tua,  
Publicitùs docto divinas differis ore  
Ideas, faciam quidnam ego? fausta precor!

P R A E S E S.

**S** Gottes weiser Rath bey Schaffung einer Sache  
Zuvorhin bey sich selbst/ derselben Muster mache/  
Wie Plato hat gewolt? Das untersuchest du  
Mit dieser klugen Schrift. Ich wünsche Glück darzu.  
Ich faste neulich auch ein sonderliches Glück  
Mir in die Sinnen ein/doch kam in diesem Stücke  
Ich leider ziemlich blind. Die Hoffnung geht zu hoch/  
Drum bleibt mein Sprichwort wahr! wie offte fehlt es doch.  
Seinem werthen Freunde zu willfahren  
schrieb es

Christian Fr. Keiman/ Z. L. L. L. St.

**D**um Tu conscendis Cathedram, *Doctissime*  
*Cabli,*

Ausus ut hic felix sit, precor ergò tuus.

*Hac Amico suo charissimo scribebat*

Theodorus Lutherus Breling/Holf.

**W**ie froh ich ihn ietzt seh' auf die Catheder gehen /  
Darinnen er versicht sein vorgestelltes Bild/  
Mit was vor Eigenschaft sey selbes angefüllt/  
So lieb werd ich ihn einst sehn auf der Cankel stehen.  
In Eil setzte dieses seinem vielwerthen Freunde  
glückwünschend hinzu

Johannes Cadaeus, Gryph. Sil. LL. Stud.  
Cer-

**C**ernis, ut exhilaret Tellus multiplici fructu  
Terricolas, nec non tempora veris agant,  
Sic recreare Tuos contendis, Chare, Patronos,  
Ingenii magna fertilitate tui.  
Hi Tibi quin referant conatus præmia multa,  
Non dubitare potes. Gratulor illa Tibi!

*Amico & Conterraneo suo Dilectissimo  
apponchat*

**Gaspard Baumgarten.**

**P**ræsides famigero, Cathedrâ conscendis, amice,  
Ingenium monstras non latuisse tuum.  
Ausibus his grator: Jovah benedicat ab alto  
Et pergat studiis ipse favere tuis.  
Felices ego progressus Tibi comprecor ipse,  
Quo Patriæ possis utilis esse Tuæ.

*Honoris & amoris ergo Pereximio Dn. Respon-  
denti Contubernali suo Charissimo hoc debuit*

**Johannes Oloffsonius Lübecensis**  
S. S. Theol. Stud.

**F I N I S.**

*Coll. diss. A. 36, misc. 57*